

Bericht

über

das Altstädt. Gymnasium

zu Königsberg in Pr.

von Ostern 1856 bis Ostern 1857.

Womit zur

öffentlichen Prüfung der Schüler aller Classen

am

7. April Vormittags von 8½ Uhr und Nachmittags von 2½ Uhr ab

und

am 8. April Vormittags von 9 Uhr ab

zugleich im Namen der Lehrer der Anstalt

ganz ergebenst einladet

der Director

Dr. Johann Ernst Ellendt.

Vorangeschickt ist eine Abhandlung von Dr. Richter: De supinis Latinae linguae. P. II.

Königsberg, 1857.

Druck der Universitäts-Buch- und Steindruckerei von E. J. Dalkowski.

Ordnung der Prüfung.

Dienstag, den 7. April, Morgens von $8^1/_2$ Uhr ab:

Quarta:	1. Rechnen. Schumann.
	2. Latein. Dr. Möller.
Quinta:	1. Französisch. Fatscheck.
	2. Latein. Dr. Richter.
Sexta:	1. Geographie. Müttrich.
	2. Latein. Dr. Seidel.
Tertia B.:	1. Latein. Director.
	2. Geographie. Dr. Seidel.

Nachmittags von $2^1/_2$ Uhr ab:

Tertia A.:	1. Griechisch. Dr. Nitka.
	2. Geschichte. Dr. Möller.
Secunda a. b.:	1. Französisch. Dr. Retzlaff.
— b.:	2. Latein. Dr. Richter.

Mittwoch, den 8. April, Morgens von 9 Uhr ab:

Secunda a. b.:	3. Religion. Dr. Krah.
Prima:	1. Physik. Müttrich.
	2. Latein. Dr. Krah.

Nach der Prüfung und einer Lateinischen Rede des Abitur. Kirschnick erfolgt die Entlassung der Abiturienten durch den Director.

Zum Schlusse wird der Singchor des Gymnasii einige Gesänge vortragen.

De supinis Latinae linguae.

P. II.*)

Caput VIII.

De iis, quae supinorum loco ponuntur.

Supino in tum exeunti quum sit hoc proprium; quod cum verbo, cui junctum sit, quasi coalescat, consentaneum est, in iis sententiis, in quibus non esset, quod alterum alteri arte adstringeretur, alias dicendi formas fuisse adhibitas. Eaedem praeferebantur, quum supina aut orationis generi non conveniebant aut a scriptoribus rarius ponebantur, cf. cap. IV. — Et illarum quidem duo genera sunt, nam consilium actionis post verba movendi aut objective, ut dicitur, significatur, primum per infinitivos praes. act., deinde per gerundia vel gerundiva, tum per substantiva, quae vocantur abstracta, aut subjective per participia fut. act. (praes. act.), rarius per substantiva appellativa, saepissime per enunciationes a conjunctione *ut* suspensas aut pronomini relativo subjectas. —

I.

De iis, quae consilium objective denotant.

1. De infinitivo.

§. 39. Quum ceterae, quae hoc loco (I.) commemorandae sunt, constructiones ad supinorum naturam propius accedunt quam alterae (II.), tum infinitivi ratio iis simillima videtur cf. §. 4. Raro quidem ille positus est. Etenim, si ab infini-

*) Partem I. programmati hujus gymnasii superiore anno additam nunc unum sequitur caput octavum, quippe quod scribenti ita accreverit, ut reliqua una promere non liceat. Haec proximo quidem anno edendi occasionem fore aliqua spes mihi facta est.

tivis, qui verbis properandi, festinandi aliisque similibus addebantur, discesseris, illud dicendi genus non invenies nisi paucissimis locis Varronis, singulis Caelii et Pisonis. Ceteri qui oratione soluta hoc modo locuti sunt, multo post fuerunt, sed ne ii quidem crebro, semel Valerius Maximus et quod sciam Justinus, aliquoties Gellius, Appulejus, Hyginus, crebrius Tertullianus. Neque poetae hunc infinitivum saepe posuerunt, ut esset apud antiquiores certe supini usus superior. — Crebrius quam ceteri infinitivi invenitur visere, quod verbum supina formandi facultate, ut videtur[114]) destitutum cum verbis eundi, veniendi, progrediendi in hoc genere collocatum est: Plauti Bacch. IV. 8. 59., Poen. V. 4. 2., Rud. I. 2. 6., Cas. V. 1. 2., Terent. Phorm. 1. 2. 52., Hec. I. 2. 114., S. Turpil. N. tumulti. Ribb. 154. Horat. Od. I. 2. 8., Ovid. Am. II. 2. 22.; nec pedestris orationis scriptores illum infinitivum spreverunt: L. Piso ap. Gell. VII. (VI.) 9. 5.: Idem — dicitur ad collegam venisse visere aegrotum. Varro R. R. II. 1. 1.: quum Petam fessum visere venissemus (var. scr.). Similiter Gell. XVI. 3. 2. et XVI. 19. 5. (proficiscitur — visere). — Caelius ap. Charis. II. p. 183. Krause fr. 191.: celocem mittit visere locum. — Appul. Met. VI. 115. p. 397.: quum maritum intervisere venisti. — Alia ejusmodi verba continentur his locis: Ennii Sota. 1. Vahl. 164. (Varro L. L. V. 62. M.): Ibant malaci viere Veneriam corollam. — Claud. Rutil. de reditu suo I. 210.: missus — discere jura.

§. 40. In aliis non erat, quod formandi difficultate moti ad illud dicendi genus converterentur. Ex quibus primum afferendi sunt ii loci, in quibus infinitivi positi sunt, quorum loco, quae substitui possent, supina reperi

α) apud ipsos scriptores, qui infinitivorum constructionem adhibuerunt: Plauti Trin. IV. 3. 8.: *recurre petere*, cf. Bacch. IV. 3. 18. Curc. I. 3. 51. — Pl. Bacch. II. 3. 120.: *ibat* aurum *arcessere* cf. Asin. V. 2. 60. — Pl. Cist. II. 1. 26.: *abi quaerere*, cf. Rud. I. 4. 4.

β) apud alios saltem: Pl. Cas. III. 5. 48.: *missa sum ludere* Ter. Eun. III. 3. 22.: *misit* porro *orare*, Hec. III. 2. 10. *introiit videre*, Lucr. III. 895.: nec dulces *occurrunt* oscula nati *praeripere*; Propert. I. 1. 12.: *ibat* — *videre*; id. I. 21. (20.) 23.: *processerat* — *quaerere* — aquam; Martial. IV. 78. 5.: non oculos sed ventrem *pascere veni*. Tertull. Apol. 39.: *provocatur canere* cf. Oehler I. p. 266.: *prosiluit inquirere* etc. —

Pro frequenti illo supino *lavatum* in Inscr. Orell. 4803. est; tu qui legis *vade* in Apollinis *lavari*. Activum olim scrib., probante Orellio, Lucr. V. 949.: quibus exibant — lavere; sed Lachmannus edidit: quibus e scibant — lavere[115]). Huic loco duos alios addo, de quorum scriptura est dubitandum: *Liv.* 42., 25., 8., ubi Drakenb. cod. secutus edidit: legati *venirent speculari* dicta. Sed recte opinor Kreyssigius scripsit *speculatum*, quod Weissenbornius quamquam recepit, tamen librorum scripturam locis aliquot, in quibus sit infinitivus insolenter positus, videtur tueri. At illorum ratio aliquo modo diversa est, nec Livii aetate quisquam in oratione pedestri ipsa eundi et veniendi verba[116]) cum infinitivo conjunxit.

114) cf tamen supra adn. 34.

115) Nec aliud ejus verbi exemplum in promtu est quam Ennianum trag. Vahl. 228. N. sanguis: *pergunt lavere* sanguen sanguine. sed de pergendi v. separatim dicam.

116) de v. pergendi et aliis ej. cf. §. 42.

Alter locus est Appul. Flor. 3. 16.: si *ite* eum hodie *probare*, de qua scriptura v. Oudendorp. —

§. 41. γ) Jam dicam *de infinitivis*, quae sunt *eorum verborum, quorum supina*, quum possent declinari, equidem *non invenerim*: Pl. Most. I. 1. 64.: *ire — volo — parare*; Ter. Hec. V. 4. 2. Ruhnkenius scribi voluit: *Ne me — conjicias — gaudio hoc falso frui*, comparans cum *introiit videre*. Sed nunc scribitur Bentlejo auctore *nunc pellicias — frui*, de quo infin. cf. Haasium ad Reisig. adn. 485. — Ennii Ann. v. 337. ed. Vahlen, Prisc. I. p. 37. Kr.: *duxit* dilectos bellum *tolerare*. Lucr. IV. 472.: hunc igitur contra *mittam contendere* cursum, quod Gronovius observ. III. 19. p. 456. ed. Platner. confert cum Terentiano *oratum mittere*. — Hor. Od. III. 21. 8.: *descende — promere* — vina (sup. depromtum cf. §. 18., num descendere cum supino sit junctum, nescio). Verg. Aen. I. 527.: Non nos aut ferro Libycos *populare* Penatis *Venimus* (supinum hujus verbi incertum est, cf. §. 16.). Ovid. Met. V. 660.: *misit — agitare*. Statii Silv. IV. 416.: *ibis frenare* cohortes. Propert. V. (IV.) 1. 71.: quo *ruis — dicere sacra* — ? id. IV. (III.) 1. 4.: *ingredior* — Itala per Grajos orgia *ferre* choros (neutrum verbum cum supino copulatum inveni). Id. I. 6. 33.: seu pontum *carpere* remis *Ibis*[117]), quocum confero Appul. Met. IV. 64. p. 240.: dum *accedo decerpere;* (accedendi v. dubito sitne usquam cum supino connexum) Reliqui loci s o l u t a e o r a t i o n i s sunt: Varro R. R. II. 10. 1.: in quibus *stabulari* solent equas a b i g e r e (Schneider), Val. Max. V. I. Ext. 1.: quis autem illam *osculari* non *curreret?* Justin. 18. 7. med.: quo decimas Herculi *ferre missus fuerat*. Hygini fab. 27.: eum patris injuriam *exsequi venisse*. Id. 88.: ad flumen *exit* sanguinem *abluere*. Apud Tertullianum reperiuntur: *invitare venit, discessit percutere, processit annuntiare*, al. cf. Oehler. ad Ap. 39. et in Indice v. *infinitivus finalis*. Apud Arnobium denique pro eo quod legitur: *facit sumere habitum puriorem*, Behotius habet: *vadit sumere* h. (V. 25.)

§. 42. Separatim tractanda sunt aliquot verba cum supino aut nusquam aut perraro cf. §. 30., cum infinitivo saepissime conjuncta[118]). P e r g e n d i v. et infinitivus verbi eundi[119]) et alii infinitivi comitantur[120]).

Pauculos locos addam iis, quos Hudemannus in thes. Klotzii posuit v. pergere: p. trucidare Tac. Hist. I. 40., videre Gell. XII. 5 in, carpere Ov. Rem. Am. 214., sternere Halieut. 53., ac vetustissima Lucilii inc. 148. Fulg. p. 393. ed. Gerl.: *pergit*

---

117) Supino locus non erat: Prop. I. 17. (16.) 11—12. et III. 18. (II. 25.) 2. cf. Hor. Od. I. 23. 10. Appul. Met. IV. 64. p. 240. v. Ruddim. II. p. 230. fin.

118) Nunc quidem non omnes loci eorum librorum, quos in exordio commentationis hujus indicavi, in promtu sunt. Ciceronianos et Livianos collegit G. Hildebrand. in commentatione, quae hoc denique anno in manus meas incidit: Ueber einige Abweichungen im Sprachgebrauche des Cicero, Cäsar und Livius und über den Gebrauch des Infinitivs, der Supina u. s. w. Dortmund. 1854. p. 17—20.

119) cf. Fabrium ad Liv. 21., 22., 9., Muetzell. ad Curt. p. 96 et 97. Drakenb. ad Liv. 21., 30., 1. lis, quae sunt in thes. Klotz. addo Ter. Phorm. V. 6. 7., Hor. Od. II. 18. 16.: novaeque pergunt *interire* lunae. Proxime accedunt: p. *navigare* Liv. 36. 42. 4. p. *sequi*, 9, 45. 16. — Similiter *properantem* sequi Caes. civ. III. 36, venire ib. 33., pervenire Gall. II. 11. Cum hoc dicendi genere confero Plauti Rud. 3. 6. 9: cum ad me *profectus ire*. Nec tamen certa est scr.. Douza *p—us ires*.

120) cf. F. L. Lentz de verbis Latinae linguae auxiliaribus P. II. p. 13. Königsberg 1852.

capulare cadaver et Ennii jam supra indicatum: *pergunt lavere.* Apud Lucretium semper id est, quod continuo aggredi, cf. I. 931. IV. 7. et 326. etc.

Sequitur properandi verbum, cf. Forcellini thes. et Dietsch. ad Sall. Cat. 7. 6. Addo Ter. Andr. IV. 4. 20: p. tollere cf. Plauti Men. V. 2. 2, Caecil. Stat. 46. N. 127. 19; Lucr. V. 298, Verg. Aen. I. 745, Ov. Fasti I. 507. VI. 755. Rem. Am. 115 et 245, Met. VII. 250 XI. 486 sq. — Bell. Alex. 20. Val. Max. 4. 4. 19. Senec. Ep. 77. 3 Taciti Ann. I. 51. Curt. V. 5 et 10; IX. 9. (ire X. 2.) —

Festinandi v. cum infinitivo conjungi cum alii ostenderunt tum Lentzius l. c. et Hildebrand. l. c. p. 17. Addo Ovid. Fasti V. 546; Valer. Max. V. 9. 1. Curt. VI. 6, VI. 11. fin. Tac. Ann. II. 77. cf. Walther ad Tac. de Or. 3., Vell. II. 59, Suet. Gramm. 23, Macr. Sat. I. 9. 17, Dictys II. 38; IV. 18; V. 11. —

De maturandi v., quod cum supino connexum non inveni v. Hudemann. in Klotzii thes., Dietsch ad Sall. Cat. 18. 8, Corte ad Cic. ad Fam. p. 521, Lentz l. c. Hildebrand. l. c. p. 17.

2. De gerundio et gerundivo.

§. 43. De infinitivis hactenus. Ab iis et supinis gerundia et gerundiva differunt ea re, quod movendi verbis copulari non solent, nisi aut praepositiouum ad, rarius super et propter aut substantivorum causa et gratia adminiculo. Ceterum utrisque sunt similia. Cum alteris comparat Priscian. VIII. 9. §. 47. Kr. „et in *um* quidem eandem significationem fere habet, quam in *dum* desinens cum praepositione *ad.* Quid est enim *venatum* nisi *ad venandum?*“[121])

At est aliquod discrimen; neque enim, cum id, de quo quaeritur, statim effici significatur, gerundium est aptum, nec supinum, cum solum consilium nulla perficiendi significatione exprimitur. Sic nemo opinor pro *ambulatum ire* posuit *ad ambulandum ire*[122]), nec pro iis, quae sunt Caes. B. Gall. V. 47: *quod eo tolerandae hiemis causa devexerat*, supini structura poterat usurpari.

Illud igitur dicendi genus, si a Phaedro similibusque discesseris, a sermone poetico paene alienum videtur fuisse; evitarunt enim, quantum memini, scenici praeter Ennium cujus v. (in trag. ap. Cic. Tusc. III. 13. 28, Vahlen p. 362) haec sunt: *ad Trojam cum misi ad defendendam Graeciam*, itemque ceteri poetae[123]). Creberrime contra orationis pedestris scriptores hoc modo locuti sunt. Ac primum quidem consentaneum est, quorum verborum supina ne declinarenter esset impedimentum, eorum gerundia vel gerundiva locum obtinuisse. Sic visendi causa venire, ire etc. legitur Cic. Tim. 1. Tusc. V. 3. 9. Verr. V. 26. 66. Caes. Civ. I. 69. Gall. VI. 13, Sall. Cat. 61. Liv. I. 31. 2; XXI. 26. 5, XXII.

---

121) Prisc. (sic.) de Gener. p. 1315 Putsch.: „hoc interest inter amandum et amatum, quod amandum necessitatem significat, amatum *initiationem* ad amorem.“ Is locus Prisciani sententiae VIII. 9. §. 45. sq. repugnans videtur esse corruptus. Quid enim sibi vult illa *initiatio!* Nec quod alii proposuerunt (cf. Valla I. 28, Saturn. VIII. 6. ext.) *imitationem* probo. Nescio an sit scribendum „*incitationem*“, quo vocabulo forsitan ille grammaticus consilium supino denotari significaverit.

122) *Ambulandi causa venire* ap. Cic. de Div. I. 5 significat *se conferre eo, ubi sit ambulandum.*

123) In promtu est Lucret. 3. 833: *ad confligendum venientibus* Undique Poenis. cf. Ennii fragm. ed. Hessel. 320 ap. Lact. I. 11.

33. 4; IX. 46, 9; Nep. Dio X. 1. Suet. Cal. 43, Nero 34, Oct. 93, Tib. 12. — Vell. II. 99. Plin. II. Ep. 3. 8; IX. 46, 9. Tac. Ann. I. 5, IV. 51, XIV. 8, XV. 10. Hist. V. 22. — Val. Max. II. 5. 2. Gell. II. 2; XVIII. 10; XIX. 8. —

Discendi aut visendi causa — transmittant Cic. Rep. 1. 3. 6. Illud ib. I. 10. 6. — Sui exposcendi gratia missos Nep. Hann. VII. 6. Ita deposcere Liv. II. 13. 7; XXII. 33. 3; arcere Liv. II. 50, 4; 53. 1, III. 5. 3 in gerundio aut gerundivo posita sunt. —

§. 44. Jam de scriptorum usu exponamus. Cicero et Varro[124]) utramque constructionem aequabiliter adhibuerunt. Sic ille, qui supinum *salutatum* septies usurpavit, *salutandi causa venire* dixit Timae. 1., ad Att. VI. 2. 1. XIII. 9. 1. Fin. I. 5. 14[125]), qui bis sup. *spectatum* habet, de Harusp. resp. 12. 24: — *spectandi causa — accesserit*, quamquam hoc verbum cum supino junctum esse non videtur. (de orat. I. 56: accedere ad consulendum.) Idem *proficisci ad dormiendum* de Div. II. 58. 119; nec saepius supinum ejus verbi posuit. Pro supino *inquisitum*, quod bis habet, altera constructione usus est II. act. Verr. 1. 6. 16 et 2. 56. 138. Pro *deprecatum ire*, quod supra indicavi, idem ad Fam. XII. 24: quos senatus non ad pacem *deprecandam* sed ad bellum denunciandum miserat, cf. pro Sest. 35, 76. Idem qui supinum *spoliatum* semel adhibuit, dixit Verr. 4. 45. 101: *ad spoliandum* fanum immittere cf. pro Fontejo X. 20. Eandem ob causam commemorandi sunt hi loci: pro Cael. XV. 36: juventus *natandi causa* venit; de Rep. VI. 11. 11: *ad quam oppugnandam* venis (A. oppugnandum). —

Horum verborum *supina ipse* quidem *non usurpavit sed alii:* Verr. V. 62. 161: *speculandi causa missum*; ib. I. 5. 15: *ad audiendum convenit.* In Pison. XV. 34: mei capitis *servandi causa — Italia tota convenit*, quo loco supinum non fuisset aptum, cf. §. 43. — De div. I. 46: exisse ominis *capiendi causa*. Saepe dixit *ad accusandum descendere*, ut pro Mur. 28, pro Sest. 41. 88. — Descendendi verbum nusquam cum supino conjunctum reperi.

Horum denique verborum supina *apud nullum scriptorem* inveni: cum in hortos — *commentandi* causa venissemus: Lael. II. 7. cf. de Div. I. 41. — quum se Syracusas *otiandi*, — non *negotiandi* causa contulisset de Off. III. 14. 58. — quum *obsignandi* causa venissem II. act. Verr. 1. 19. 50. — *jurandi* causa ad aras accedere (cf. init. §.) pro Balbo V. 12. — belli *parandi* causa profecti ad. Att. 8. 14. med. Se Pompeji conveniendi causa divertisse Massiliam Phil. 13. 6. cf. Hirt. ap. Cic. ad Att. XV. 1. 3. Me quasi *prosequendi* sui *causa* Romam — venire: ad Att. 13. 25. 2. — *Ad complectendum* conservatorem suum progredi: in Pison. 22, 52. — qui ad Brutum obsidione *liberandum* profectus est: Phil. V. 18. —

§. 45. Caesar et Hirtius gerundia et gerundiva supinis praetulerunt et aliorum verborum et quod memoratu dignum est aliquot eorum quoque quae ad rem militarem describendam arcessebantur. Caesar enim nec multa posuit supina nec ea ipsa saepe adhibuit. Nam praeter *nocitum*, *spoliatum*, *datum* in infin. fut. pass. structura posita haec tantum habet: *pabulatum* quater, *rogatum*

---

124) cf. de R. R. II. 11. 3 et 11; I. 68; II. 6. 5; I. 25, I. 2, 9; L. L. p. 66 med., Fragm. 231 August. de Civ. Dei VI. 9.

125) In Epist. Matii ad Fam. XI. 28. 7.

et *oratum* ter, *frumentatum* bis, semel haec: *postulatum*, *gratulatum*, *nuptum*, *oppugnatum* et quod addendum est §. 19: questum Gall. I. 37. *Hirtius* unum inf. fut, pass. *actum iri* posuit, praeterea *frumentatum* quater, *oratum* et *pabulatum* bis; *praedatum*, *aquatum*, *efflagitatum* semel. Contra *pabulandi causa* progredi Caes. G. VII. 14. cf. Civ. I. 80 et III. 76, Hirt. Afr. 24; *praedandi causa* venire, mitti etc., Caes. (qui nusquam habet praedatum) Gall. II. 17. et 24; IV. 9; V. 19, Civ. I. 20 et 81. Hirt. Afr. 68. *Oppugnandi* sui *causa* venisse: Caes. G. V. 53. cf. I. 44. Civ. I. 14, Bell. Alex. 3 et 18. Pro *lignatum*, *speculatum*, *exploratum*, quae neuter movendi verbis adjecit, legitur: *lignandi causa* progredi Caes. Gall. 7. 14. Civ. 3. 76, Hirt. Afr. 24; *speculandi causa* venire Gall. I. 47. *sp. gratia* remissi B. Gall. 8. 4, Afr. 35, *ad* castra *exploranda* proficisci: Caes. Civ. 2. 24 cf. 3. 38. Ita ad *deprecandum*, *hiemandi* gratia, *bellandi* causa, alia permulta saepe reperiuntur, supinum ejusmodi nullum. —

Contra Sallustius et Nepos supina crebrius posuerunt quam gerundia et gerundiva, ut et paucissima verba utroque modo construerent, velut *rogare* Sall. Jug. 29 fin. (rogatum ib. 77.), sed diversa significatione, *defendere* Nep. Tim. 4. 2 (defensum Hann. 6. 1.), et pro supinis aliorum usu tritis raro gerundiis vel gerundivis uterentur, ut Sall. Cat. 61 (spoliare), Jug. 59 (oppugnare), 61 (hiemare). Nep. Alc. X. 3 (interficere); id. Phoc. II. 10 (recuperare), nec multi reperiantur loci, in quibus verba, quorum supina ne a ceteris quidem scriptoribus videntur esse usurpata, altera illa constructione cum verbis motum significantibus sint copulata, ut Sall. Jug. 61 colloqui, Cat. 18. 5 obtinere; Nep. Alc. 4. 3 dicere; ib. deportare. —

§. 46. Livius, qui utraque constructione saepe est usus, cum aliorum verborum tum eorum quae sint ad rem militarem referenda, praetulit supina; aliorum et plurium quidem gerundia vel gerundiva ad hoc dicendi genus adhibuit. Sic pro *frumentatum*, quod novies, *pabulatum*, quod duodecies, *lignatum*, quod sexies posuit, nusquam dixit: *ad frumentandum, pabulandum, lignandum*. — *Praedatum* tricies, *gerund.* sexies, *speculatum* undecies, semel *ad speculandum* missis 38. 16. 6; *sciscitatum* quinquies, semel dimissi *ad sciscitandum* 3. 18. 12; *exploratum* decies, *gerund.* quater; *gratulatum* decies, *gerund.* semel 44, 46, 9; *oppugnatum* octies, *gerund.* quinquies; *questum* sexies, *gerund.* bis 33, 29, 6 et 39, 46, 9; *comissatum* quinquies, *precatum* bis, eorundem verborum *gerundia* nusquam habet. —

Pro his supinis raro usurpatis pariter altera constructione usus est: *aquatum* (semel) *Gerund.* 31. 42, 4. *Spectatum* (bis), *Ger.* 28. 38. 8. *Percunctatum* (bis) *Ger.* 21. 18. 1. *Quaesitum* (semel), *Ger.* X 29. 18. *Consultum* (semel), *Ger.* I. 32. 9. Saepius *ad petendum* quam *petitum* dixit[125]). *Populatum* et *depopulatum* supina nullo loco sunt certa scriptura munita cf. §. 16. v., contra *ad populandum venire* 3. 22. 3; 22, 21, 3, gerundiva 3, 5, 2 et 21, 45, 2; *ad depopulandum* 40, 49, 1; 23, 26, 7([126]), gerundiva: 9, 38, 2; 2, 48, 4. Nec sup. *disceptatum* tutum est, cf. §. 15. v. captatum; *Gerund.* quater legitur. —

---

125) *res repetitum* ter, *ad res repetendas* missi, al. sexies reperitur

126) Nec alii hujus verbi supinum usurparunt. Ad regionem depopulandum mitti: Caes. Gall. 6. 30. cf. 7. 64.

Nusquam supina, quae alii scriptores usurpaverunt, horum verborum habet, quorum gerundia vel gerundiva eum movendi verbis addidisse locis indicatis intelligitur: *cognoscere* 39, 27. 1; *consultare* 9, 9, 12; *deliberare* 45, 36. 10, *expostulare* (verbi simplicis supinum rep.) 21, 25 5 et 22, 33, 4; *sedare* 3, 50, 12, *deprecari* 3, 58, 1 et 38, 9, 3; *mercari* 4, 52, 5; *sacrificare* 42, 42, 1; *defendere* 37, 32, 3; *rapere* 1. 9. 10; *dedere* 9. 1. 3. —

Restat, ut afferam gerundia vel gerundiva eorum verborum, quorum supina in *tum* exeuntia nemo, quod sciam, usurpavit, a Livio verbis motum significantibus subjecta: v. *colloquendi* 31. 46. 41, *suadendi* et *dissuadendi* 34, 1, 4; 43, 16, 8; 45, 36, 1; *inspiciendi* 21, 6, 3; *suffragandi* 38, 38, 8; *satisfaciendi* 42, 44, 4; *opem ferendi* 7. 11. 7; *liberandi* 35. 33. 8; *parandi* 2, 9, 6; *comparandi* 38, 12, 7; *sumendi* 2, 5, 8; *deprehendendi* 2. 4, 7; *inferendi* 3, 8, 4; *cogendi* 1, 48, 3; *comprimendi* 1, 60. 1; *concitandi* 1, 59, 12; *sollicitandi* 2, 22, 3; *revocandi* 3, 60, 7; *turbandi* 22, 18, 10; *intercedendi* 45, 21, 7. —

§. 47. Atque ut jam ad ceteros scriptores veniam, Tacitus hac constructione crebrius usus est quam supinis: Annal. I. 13: cum deprecandi causa — introisset cf. II. 42, IV. 26, 36 et 73, XII. 10, XIV. 39, XVI. 10; Hist. II. 10 et 40 et 68, IV. 28. Idem praepositionem super arcessivit Ann. XV. 5: *missurum* legatos — *super petenda Armenia et firmanda pace.* Praeterea dativum gerundivi posuit Ann. 6. 43: *reddendae dominationi venisse*; ib. 15, 10: quos *visendis hostium copiis praemiserat* [127]). Genetivum addidit, ut sit *causa* vel *nomine* supplendum: Annal. 2. 59: Aegyptum *proficiscitur cognoscendae antiquitatis*, cf. Nipperd. —

Jam Valerius Maximus gerundia et gerundiva ita anteposuit supinis, ut haec aspernaretur quum Liviana assumeret, velut I. 6. 3: cujus rei explorandae gratia — legati missi (Liv. V. 15: missi sciscitatum oratores); I. 6. 9: speculandi gratia cum paucis egredi (Liv. XXVII. 26: quin imus — exploratum.); V. 1. 1: ad gratulandum sibi Prusian — venire (Liv. XLV. 44: gratulatum etc.). Antemisit praepositionem propter III. 2. 9: *propter auspicia repetenda* in urbem *proficiscente* [128]). Livius VIII. 30, a quo haec quoque petivit, scripsit: ad auspicium repetendum. Ceteris locis Valerii Maximi omissis de aliis scriptoribus dicam. Et Vellejus quidem, Suetonius, Quintilianus, Petronius, alii hanc constructionem supinis anteposuerunt, cf. §. 26 et Vell. II. 19 et 31. Suet Cal. 12, Otho 3, Caes. 32, Nero 15, Claud. 9 et 24, Titus 5, Galba 14, Octav. 94. — Quintil. I. 10, 48; IV. 1. 7; IX. 3. 12: Unde eousque processum est, ut — visuros (Lips. visores conj.) ad videndum missos idem auctor (Sallustius est intell.) dixerit. — Petron. 94; 97; 140. — Seneca philos. participium futuri non solum supino sed etiam huic dicendi generi videtur praetulisse; id quod fecit Curtius [129]). Plinius minor supinum evitavit, quum diceret: *venire ad aliquem salutandum:*

---

127) Cum his confero Ovid. Met. 6. 441: me *visendae mitte* sorori. Tertull. Apol. 16 p. 176 templum *adisset — spectandis arcanis.* Supino vix locus fuisset Tac. Hist. 3. 32 fin.: is balineas *abluendo cruori petit*, et multo minus Annal. 15, 8. in: *rapit* exercitum trans montem Taurum *reciperandis*, ut ferebat, *Tigranocertis.*

128) cf. Arnob. I. 60: *propter quas* in mundum *venerat faciendas*

129) Gerund. v. III. 7 et 12: V. 3.

IV. Ep. 13. 3; X. 57 bis cf. II. 20. 10; II. 3. 8; IV. 29. 1. Florus (cf. II. 16, IV. 6.), Justinus (cf. I. 9; II. 12. al.), Frontinus[130]), Macrobius[131]), Arnobius neutra constructione crebro sunt usi; Appulejus[132]) denique et Dictys[133]) supinum multo saepius posuerunt. —

Haec de gerundiis et gerundivis. Reliquum est mihi de iis, quae consilium post movendi verba objective significant, exponenti, ut dicam

3. de nonnullis **substantivis**, quae fere sunt et verbalia et abstracta.

§. 48. Primum igitur ex iis, quae in *us* terminantur praeter locos Plautinum: *ad mercatum mittere* et Varronianum: *ad pastum prodire*, jam a Ruddimanno II. p. 257. 77. allatos commemoro Macr. Sat. I. 16. 34: *ad mercatum* legesque accipiendas Romam *venirent*, v. Appul. Met. VIII. 169, Petron. 101. — Gell. II. 29: *in pastum profecti*, Macr. Sat. I. 17. 41: *ad pastum propellitur.* Cum his vix componenda sunt haec: Suet Nero XI.: anusque matronas *recepit ad lusum*; neque enim recipere lusum dicuntur nisi colludentes; Verg. Aen. VI. 108: *ire ad conspectum cari genitoris.* — Appul. Met. IV. 83: *ad conspectum deae Veneris navigabant* cf. V. 90[134]). At verbi conspiciendi supinum nec usquam reperitur nec, si reperiretur, illorum locorum sententiae conveniret. Idem dicendum est de loco Taciteo Annal. XI. 32: *ire in complexum patris pergerent*, et sententia translata Senecae Epist. VI. 1. 9: ire in complexum, itemque de Ovidianis: Rem. Am. 668: *venit in amplexus*; Fasti IV. 171: *in amplexum — venere*; ib. II. 180: *hujus in amplexus — eat* v. Met. XI. 228. — Ibid. VII. 616: — *sub amplexus* Aeginae *isse* cf. Fast. VI. 548. — Multo magis ad supinorum rationem accedunt Tac. Hist. III. 70: Cornelium *misit* cum *mandatis et* questu, *quod.* — Quo loco ne *questum* poneretur, ea quae addita sunt *cum mandatis* non prohibebant, cf. supra cap. VII. fin. —

§. 49. Proxima sunt substantiva verbalia in *io* exeuntia, ut *ultio*, quod vocabulum Augusti et Tiberii temporibus nondum fuit in usu. Petron. 17: *ultionis causa* huc *venisse*; id. 132: *ad ultionem decurrit* cf. Suet. Claud. 29, Flor. I. 22. (II. 6.): *In ultionem patris missus*[135]). — Caes. G. IV. 11: *aquationis causa procedere;* ib. V. 38: qui *lignationis munitionisque causa* in silvas *discessissent.* Livius, qui v. depopulandi supino videtur abstinuisse, cf. §. 16 *populari*, haec habet 43. 4: *ad depopulationem profecti*, quod substantivum nusquam a Caesare positum primus Cicero usurpavit. — Hic Verr. IV. 18. 47: *ad tuam laudationem missa*[136]) cf. ib. II. 2. 18. 45. — Dictys VI. 8: *in*

---

130) cf. Strat. II. 12. 1 *ad quiescendum dimisit* cum iis, quae Dictys dixit: *quietum abire*; cf. II. 5. 47; II. 11. 1.; II. 5, 29; I. 5. 28.

131) cf. Sat. II. 3. 10; III. 16. 14; I. 16. 30.

132) cf. Met. 9. 195; 4, 8 et 76 Apol. 451.

133) cf. II. 9 et 10 et 14 et 39, III. 17, IV. 19.

134) Prorsus sejungenda sunt: *in conspectum venire et prodire*, ubi supinum jam propter passivam significationem excluditur; qui enim in conspectum prodit, ita prodit, ut conspiciatur. Pro illo apud Valerium Maximum et alios *in conspectu venire* invenitur, ut *in complexu venire* cf. Madvig. ad Cic. de Fin. V. 30. 92, Kempf ad Val. Max. IX. 11. 1, Dederich. ad Dictyn. I. 10.

135) Tacitus semper utitur supino cf. §. 19.

136) cf. laudatum — venire §. 15.

quorum *inquisitionem profectus*; id VI. 13 et 15 *ad* inq. prof.[137]) Liv. 45, 33, 3: undique partim *ad gratulationem*, partim ad spectaculum *contracta* multitudine[138]). Hyginus et *venatum exire* dixit et *in venationem exire*: fab. 186[139]). Dictys I. 5. *ascensionem properare* pro ascendere pr. posuit[140]) Cic. Phil. X. 6. 12: *Alter advolarat subito ad direptionem pestemque sociorum*, quocum confero Flor. I. 6. 12: *ad direptionem vocari*[141]). Illi quidem loco supinum et propter sententiam et adjecti alterius substantivi causa parum esset accomodatum. Aliis locis ut Trajani ap. Plin. X. Epist. 52: *proficisci* ad *comparationem* frumenti; Val. Max. III. 7. 7: ad causae *dictionem* vocatus; Senecae Epist. III. 5. 3: *ire in cogitationem* jubet: verborum, a quibus substantivorum illorum origo repetitur, supina in usu fuisse non videntur. Alia ratio est Cic. ad Quint. II. 13. 2: vereor, ne — *ad accusationem veniat*, ubi si dixisset *accusatum veniat*, sententia prorsus alia exstitisset. Nec Quintil. IV. 2. 15 pro *ad petitionem descendere petitum* ponere poterat, quod hoc non ita dicebatur, ut esset *munus* supplendum. — Cic. de or. I. 7. 28: *quum in ambulationem ventum esset* idem est, quod *quum ambulari esset coeptum*. Macr. Sat. II. 4. 27: *venitque in advocationem*[142]) interpretandum est: *ut esset advocatus*. Loco denique Festi v. piscina: *natatum* et *exercitationis causa venit populus*, supinum excluditur propter significationem passivam.

§. 50. Tertium substantivorum verbalium genus a posterioribus demum formatum[143]) ad hanc constructionem adhibitum cognoscitur his locis: Frontini Strat. II. 5. 11: Carthaginienses tanquam in adjutorium *exierunt*. Valer. Max. I. 5. Ext. 2: in adjutorium eorum sese *mittere*[144]).

Postremo alia quaedam substantiva quodammodo possunt conferri. Cic. de Div. I. 30. 62: *ad somnum proficisci* cf. cubitum, dormitum ire. Plauti Stich. 4. 2. 15: tum *venias* vasa lautum non *ad coenam* dico, cf. coenatum venire. Sic *ad coenam ire* apud Terentium v. Klotz. in thes. v. ire A. I. — Liv. 40. 57. 3: *ad praedam* opulentissimae gentis *ire* cf. praedatum ire. — Flor. I. 1: *ad spectaculum venire* cf. spectatum venire. — Val. Max. VI. 7. 1: cum *ad stuprum iret* cf. meridiatum, fututum ire. — Plauti Trin. III. 3. 4: *ire in matrimonium* cf. nuptum ire. — Quint. VI. 4. 13: *in rixam non ibimus* cf. §. 23. 3. f. — Cicero: *in consilium ire* cf. consiliatum surgere (Dictys). *In suffragium ire* cf. §. 23. 3. c. — Cic. ad Att. 14. 3. 1: *ad frumentum profecti*. — Caes. Civ. I. 54 fin.: qui *frumenti causa processerant*. — Hirt. Afr. 61: *frumenti gratia mitti* cf. frumentatum proficisci, mittere. — Liv. 27. 27. 3: *paboli aut lignorum causa progressos* cf. pabulatum progredi. Taciti Ann. XI. 26: *sacrificii gratia* Ostiam *proficisceretur*, cf. sacrificatum ire. Sic

---

137) cf. sup. inquisitum §. 18

138) cf. supin. gratatum §. 16 et spectatum §. 15.

139) Differt loc. Capitol. Anton. Phil. 4: *in venationes pergere* propter numerum plurativum.

140) de properandi verbo cum supino juncto cf. §. 30.

141) direptum iri. Cic.

142) Cum hoc comparari possunt Justin. II. 15: in legationem proficiscitur; Varro L. L. V. 75. ite in conventionem.

143) Primus videtur Asinius Pollio usurpasse.

144) Hygini fab. 96. „ut eum adjutorium Danais mitteret" nescio an *in adjutorium* sit scribendum. De *adjutum mittere* cf. §. 15.

subsidio ire (Pompej.) et *in subsidium ire* (Cic.), *venire, proficisci auxilio* (Nep.) *vocare* aliquem *auxilio* etc., cf. §. 23. 3. e. — Extremum locum obtineant Ovidiana: *ibimus in poenas* Met. V. 668 cf. punitum ire. — *In litem issent* Fast. 6. 89. cf. §. 23. 3. f. — *In mea* nunc demens *crimina*, fassus, *eo*: Amor. II. 4. 4. cf. criminatum venire. — *Ire ad solacia* Met. VI. 413. cf. §. 23. 3. e. — Conanti per *laudes ire* tuorum Fast. I. 15. —

Eodem modo alii poetae sunt locuti. —

II.

Exponitur, quomodo post verba movendi consilium subjective significetur.

Hoc fit aut singulis vocabulis aut enunciatis.

1. De singulis vocabulis.

§. 51. Hoc loco in grammaticis tantummodo commemorari solent participia futuri activi; nescio an sint addenda participia praesentis activi, alia quaedam adjectiva, pauca substantiva verbalia in $\overline{tor}$ terminata. — Nam haec omnia quamquam a supinis multo longius distant quam infinitivi et gerundia, quod, ut hoc utar, is, qui dicitur proficisci nunciaturus[145]), proprie in eo esse dicitur, ut nunciet, qui nuncians, id ipsum jam prope facere, qui speculator mitti, consilio exsequendo ita intentus esse, ut eo tanquam officii partes (Lebensberuf) contineri videantur: non sunt tamen hoc loco praetermittenda, quum quorundam vocabulorum origines et declinatus in animis eorum, qui dicant scribantque, quasi obliterari constet, ut scriptoribus, qui illa nomina, inprimis participia fut. act. verbis movendi adjunxerint, ea aliquoties certe supinorum rationi ita congruere esse visa arbitrer, ut nullo discrimine ponerent.

§. 52. Atque de participio fut. act. primum videamus. Id[146]) nusquam, quod sciam, a poetis scenicis et scriptoribus rusticis antiquioribus in hoc dicendi genere usurpatum primum videtur C. Gracchus posuisse apud Gell. XI. 10. 4: *qui prodeunt dissuasuri, ne*, his Sallustius fragm. inc. 111. ap. Donat. ad Ter. Hec. V. 1. 33: qui *prohibituri venerant;* hist. fragm. II. 18. ap. Priscian. X. 2: quos advorsum multi — volentes *occurrere*, falsum filium *arguituri.* (nec tamen occurrendi verbum cum supino copulatum reperi); semel Hirtius Afr. 25: alios *adjuturus proficisceretur*[147]). Ex Caesaris et Ciceronis[148]) libris nullum locum

145) Multis locis ne comparari quidem cum supino potest, velut Verg. Aen. II. 408: et *sese* medium *injecit periturus* in agmen cf. ib. II. 511. 675. IX. 400 et 554, X. 881, XI. 856; Ovid. Met. VI. 586: sed fasque nefasque *Confusura ruit*; ib. XI. 696: quoniam *periturus abibas.* — Juvenal. VII. 117: *surgis* tu pallidus Ajax *dicturus.* —

146) De usu participii hujus recte judicavit Ferd. Schultzius lat. Sprachlehre §. 426, minus probantur, quae sunt apud Zumptium §. 668 et Putschium (lat Gr.) 1854. —

147) Incertus est locus bell. Hisp. 18. —

148) pro Balbo II. §. 5 *isse possessurum* pro *isse possessum* in cod. Stephani scriptum est.

afferre possum, Livianos perpaucos: X. 26. 7: *venerunt* legionem — *oppugnaturi;* VIII. 26. 1: sineret se *circumvehi* — loca *depopulaturum* v. Drak., sed dubito fueritne conventurum huic loco supinum propter verbum circumvehendi. Similem scrupulum movent hi loci: III. 60, 8; XXIII. 1. 5; XXVI. 12. 14; XXXVI. 14, 6; XXXIX. 54, 6; XLIV. 35, 23, Epit. 109. —

